

Verum hoc ipsi non præstiterunt, imò (quod cuius instinctu factū sit, nolimus dicere) miserunt quosdam ad Cæsaream Maiest. & inter alia ipsius Maiestati exponi curarunt, quod dubitarunt, quo modo se in talibus negotiis ac mandatis Cæsareis gerere deberent, quandoquidē disputationes oritur, quæ nam causæ ad religionē pertinerent, aut non pertinerent, rogantes ut hac in re Cæsarea Mai. suum animū declarare uellet &c. Et hac quidem ratione extorserunt à Cæsarea Maiestate rescriptū quoddam, ab illa eius Maiesta. obligatione, publicæq; pacis cautione, quā paulo ante inseruimus, nostro Iudicio non nihil diuersum, In quo ipsis conceditur facultas & arbitrium pronuntiandi, quæ nā pro causis religionis, et quæ item nō, haberi ac iudicari debeant, Cum tamen ante Cæsarea Maiestas re satis per eos qui inter ipsius Maiestatem & nos, de supradicta pacificatione egerunt, explorata & cognita, suam inhibitionem & cautionem ediderit, In qua omnis cognitio, sine ullo discrimine, in causis religionis, iudicio Camere adēpta, & ex Cæsa. auctoritate irrita, et nulla constituta ac sancita est. Sed illi cognitionē ceptarum causarum, an hæc ad religionem pertinerent nec ne, iniuste sibi sumpsissent, ac in multis temere processerunt.

Quod uero non decuerit eos hanc quæstionē importunam, & periculosam, ad Cæsa. Mai. deferre, facile potest iudicari. Norunt enim quod in causis simplicis spoliis, ubi pax publica non uiolatur, in prima instantia cōtra Duces, & Comites Imperii et item illas Ciuitates, quæ non immediate Imperio, sed suis Principibus subiacēt, ut sunt Hamburga, Brema, Magdeburga, Minda, et similes, ipsis nulla cōpetat iurisdictio. Et tamē aduersus multos Duces & Ciuitates, Mandata, Citationes, et alios processus ediderūt, Idq; tantū prætextu articuli positi in decreto Comiciorū Spirensium, anno Domini &c. xxix, & Augustensium, anno &c. xxx. habitiorū, cuius hæc sunt uerba. Quod nemo Ecclesiasticorū aut seculariū Statuum, propter causam fidei, uim, alteri inferre, uel eū inuadere, seu oppugnare debeat. Neq; iū sua iurisdictiōe, redditibus, cēsibus, decimis, aut alijs bonis priuare etc. sub eadē pœna, quæ aduersus illos qui publicā pacē uiolant Vnorma sic sancita est. Et hūc quidē articulū prætexentes, iurisdictiōem illā usurpare ceperūt. Verum cū ex his palā constet, neq; ullo modo negari possit, illos propterea, quod titulo tenus ecclesiasticis quibusdā, imo ipsi hi poeuitis, et